



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opera

Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opervm ...

Agobardus <Lugdunensis>

Parisiis, 1666

Admonitio Ad Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14657

est, sensisse veteres merum electionis jus Karolo tributum fuisse, sed tantum jus examinandi electionem, eamque cassandi, si canonicè facta non fuisset; tum verò ordinandi Sedem Apostolicam, id est, ordinationem Romani Pontificis concedendi, postquam constabat electionem rite ac canonicè fuisse celebratam. Scio synodum illam Romanam repudiari à viris eruditissimis, ut spuriam ac supposititiam. Sed profectò multa sunt quæ auctoritatem adstruunt narrationi quæ de ea re circumfertur, ut alibi dicitur. Nunc satis sit monuisse, obscurum istud Flori scribendi genus nonnullis etiam cordatis viris imposuisse.

ADMONITIO AD LECTOREM.

Quoniam in Notis ad Agobardum diximus synodum in civitate Vrgellensi habitam fuisse anno dcccxcix. in causa Felicis Episcopi illius sedis, res postulare videtur ut doceamus hanc synodum fuisse habitam, cum non extet in tomis Conciliorum, nec quisquam hæcenus eam agnoverit. Debes illam, Lector, eruditissimo viro Petro de Marca Archiepiscopo Parisiensi, cujus verba describemus ex libro tertio Marce Hispanicæ.

SYNODVS VRGELLENSIS

HABITA ANNO DCCCXCIX.

Ex libro III. Marca Hispanicæ MS.

Praterea synodum quoque Orgelli ea de re haberi à Leidrado Episcopo Lugdunensi, Nefridio Narbonensi, Benedicto Abbate, & Episcopis atque Abbatibus provinciæ Gothiæ, Carolus iussit, ut contumaciam Felicis blandis colloctionibus mollirent. Quam synodum actam fuisse Orgelli ut comprobem, necesse est ut duo Alcuini testimonia adinvicem componantur. Is libros à se adversus Elipantum elucubratos Episcopis quos dixi transmittit, ut eos in itinere perlegant, & iis utantur ad fidei prædicationem, qua defungi eos oportebat.